

EPICEDIA
IN OBITUM

Nobilissimi & Amplissimi viri

HIPPOLYTI
A

COLLIBVS

ELECTORALIS PALATINATVS
CONSILIARII INTIMI, PRÆSIDIS
Curia & Præfecti Heidelbergensis.

Obijt 2. Februarij 1612.



HEIDELBERGAE.

Typis Johann. Lancelloti Academiae Typographi.





EPIGRAMMATA EPITAPHIA

Nobilissimo & Amplissimo viro

HIPPOLYTO à COLLIBVS

ELECTORALIS PALATINATVS CONSILI-
ARIO INTIMO, PRÆSIDI CVRIÆ ET PRÆ-
fecto Heidelbergensi, &c.

I.

H*ippolyte ah! condam tibi quod, generose, se-
pulchrum?*

Quæve erit ah! meritis digna fat urna tuis?

Marmor a non tumulum statuent, non æra perennẽ,

Illa quidem parvo tempore pulvis erunt.

Sola dabit tibi FAMA tuis virtutibus æqua

Nomen, & æternum te super astra feret.

Post sæcla illa tuos vivax renovabit honores,

Virtutis pereant ne monumenta tuæ.

II.

M*ausolea tegunt priscorum corpora Regum,*

Pyramidesq; alta funera magna Ducum.

Hoc

Hoc satis est illis, quorum vix nomina restant: 705.

Præsidium Hippolytus non petit inde sibi.

Quid tumulus, si vita fuit sine honore peracta?

Marmora si pereant, gloria honosq; jacent.

Hoc virtutis opus, lumen non sumere ab ullo,

Sed proprio æternum Marte parare decus.

Res gerere, & patriam pariter pariterq; penates

Protegere, & vitâ pluris habere suâ:

Hoc opus, hic labor est: tamen hac virtute perennè

Cunctorum Hippolytus vivet in ore virum.

III.

Ergo jacet Phæbiq; decus pacisq; minister,

Et columen patriæ gloria lausq; sua.

Et tantum Parca potuere extinguere lumen?

Et tantum potuit mors truculenta mali?

Quod mortale fuit, subtractum est: Fama superstes

Vivet, cœruleas dum mare volvet aquas.

Sit lacrymis modus ergo, & inanes comprime

questus:

Nemo unquam miserè, qui bene vixit, obit.

IV.

Magne Heros, nostri rarissima gloria sæcli,

Vivere Phœnicis tempora dignus eras.

A ij.

*Sed mors invidit ; Palatini hinc Principis aula
Mæret, & ereptum te dolet esse sibi.*

Curiate madidis lugens tua funera ocellis

Deflet, ut extinctum filia parva patrem.

Patronum populus, fulcrum generosior ortus,

Quisquis & oppressus te sibi querit opem.

Auxilium laesis, injustâ fraude gravatis,

Supplicibus facilis, fontibus horror eras.

Morosus nulli, promptus succurrere amicis:

Ara domus miseris, confugiumq; reis.

Qui solitus nullo corrumpi munere, cuivis

Semper at equali reddere lance suum.

Cur tua tam subito ruperunt fila sorores?

Indigna ah! tanto hospite terra fuit.

V.

Si nisi quâ meritis statuet Germania tumbam,

Hippolyte, hîc nunquâ tumba futura tua est.

Orbis erit tumulus; tenui non clauditur urna,

Qui summis totam laudibus implet humum.

Pietatis ergò F.

NICOLAUS HEINSIUS.

Nobilissimo & Amplissimo viro
HIPPOLYTO à COLLIBVS &c.

Ah quem te memorem divini nominis heros,
 Quæve mihi tristẽ lacryma spargat humũ?
 Heu nimium fatis nobis erepte protervis!
 Heu nimium subita vi superate necis!
 Occidis, & sic nostra simul data gaudia ventis,
 Illorumq; vicem luctus acerbus habet.
 Curia presidium, fidum Domus Inclyta pectus
 Ingemit, & promptam quisquis amicus opem.
 In lacrymis urbs est, te lugent undiq; rura,
 Et tangunt humiles funera tanta lares.
 Quid mirum? Si sparsa tenet tua munera tellus,
 Laudis ubiq; volant obvia signa tua?
 Te populi & gentes, noti ignotiq; loquuntur,
 Et quã justitiam quã benefacta crepant?
 Non tua dicetur quemquam læsisse potestas,
 Nec quis erat pullã, te faciente, togã.
 Ast tua Phœbea presentia lampadis instar
 Fulsit, & hanc nostram lumine fovit humum.
 Ac reliquos ibas proceres interq; dynastas,
 Nocturnas inter ceu vaga Luna faces.

A ij.

708 Deliciaq; & amor populi, tu maxima cura
Principibus, magni quotquot in orbe, viris.
Talis eras, contra cum stares Cæsaris ora,
Et peteres magni splendida jussa senis;
Cum testata tuum Majestas sacra triumphum,
Haud mora respondit, quod petis, hospes, habe.
Talis eras, talem invictâ virtute gerebas,
Quando loqui magnis regibus esset opus:
Cum tua prudentis Gallus consulta probaret,
Laudaretq; probam terra Britanna fidem.
Audiit & stupuit regni sacer ordo Poloni
Doctrinam atq; oris verba diserta tui.
Fulcrum spemq; suis petiit te Dania rebus,
Et doluit tanto jussa carere viro.
Quid loquar hic actas in mutua fœdera gentes?
Ut tractata tuâ bellaq; paxq; manu:
Res bene gesta foris, nostris laus addita terris,
Rursus & in proprio gloria parta solo:
Consilio Princeps firmatus, reddita jura
Quæ Nicer & montes & nemus omne sonat.
Deniq; ne vano ventos sermone laceffam;
Hic tumulus tantas condit opacus opes.
Has tamen immensum dispersit fama per orbem,
Atq; hominum jussit vivere cunq; favor:
Ista premi metuens ullo ceu pondere PALMA
FLOREBIT seclis innumerabilibus.

FRID. LINGELSHEMIUS
Pietatis ergò F.

In obitum ejusdem.

Quid loquar? Hippolyte ò fatis sublata
 dolendis!
 Cuncta scio meritis esse minima tuis.
 Esse scio dudum populi prærepta favore,
 Quando tibi omnigenâ Fama parentat humo.
 Te coluit nostro secretus ab orbe Britannus,
 Te coluit Gallus: te ferus hostis Iber
 Dissimulans sub pace metum Batavi ille Leonis,
 Expertâ stupuit dexteritate tuâ.
 Te Mulda potior loquitur, tellusq; Polona,
 (Invideat nobis te quoq; terra tua.)
 Idem pacis eras medius belliq; nec unquam
 Incorrupta Fides est habitura parem.
 Te quondam petijt bellatrix Dania, tanti
 Iacturam prompto fassa dolore viri:
 Quemq; virum tantum sunt singuli amare coacti,
 Iam cuncti ereptum voce animisq; dolent.
 Flebilior multò nostris cadis, inclyte, terris,
 Quæis modo reddebas jura bilance pari:
 Præsidium miseri dum audis insigne Coloni,
 Qui vellet vitâ te reparare suâ.
 Principis arcanis admissus, publica rerum
 Promovisti, operâ consiliante tuâ;

710. Nullius offense, nullius cunq; laboris
Pro patrij pavidus commoditate soli.
Nec tamen hinc tentare, comes quæ semper ho-
norum,

Vel leviter mentem est Ambitio ausa tuam.
Quin potius cunctis contentâ voce videris
Velle supervacui spernere honoris onus:
Nec pro te vè queri, cum sit tibi tristior ipsâ
Morte, urbis luctus, Principis atq; tui:
Cuius promeritus memorem Virtute favorem es,
Urbis & unanimi laude sub astra vehi.
Hæ tibi mansura effigies statuentur, Amoris
Eriget hæc nostris vis monumenta animis.

EPIGRAMMA

DE EIVSDEM FEBRE ARDENTE.

Cunctorum natus fueras, Vir magne, favori,
Ipsa & Mors visa est æqua favere tibi.
Parcere non poterat mortali, ast ferrea fata
Magne animæ lethi nobilitate levat.
Scilicet hæc generosa satis quæ ducit ad astra,
Perq; æstum ac ignes Hercule digna via.

Mœrens P.

IULIUS GUILIELMUS
ZINGGRAVIUS.

Q.K. 408.9.

Leich

Ben der

müß des Edlen vnd
lyti à Collibus,
nen Katho / S
Fauts in
de

Gehalten zu Heide
S. Peter / den 6.

M. A B R A H A M I



Gedruckt durc



Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

In
1556

CCA
ANA

